

II K
2990



3
Cum DEO!

DE

TRANSMUTATIONE
FEUDI IN ALLODIUM,

von der

Verwandlung des
Lehns in Erbe/

PRÆSIDE

D. JACOBO BORNIO, JCTO,
Potentissimi ELECTORIS SAXONIÆ in
Appellationum Judicio Consiliario, Facultatis Ju-
ridicæ Lipsiensis Ordinario, & Decreta-
lium Professore Publico &c.


ad d. 2. Maij M. DC. XCIII.

solenniter disputabit

AUTOR

JOHANNES GEORGIUS von Ponickau/
Eq. Misn.

Literis CHRISTIANI BANCKMANNI.



Ad
Generos. Dn. Respondentem,
Autorem hujus Disputationis
Doctissimum.



Vando jam in eo es, PONICKA VI
Nobilissime, ut Cathedram Academi-
cam conscendas, specimen eruditionis
Tuæ singularis publico in conflictu so-
lenniter editurus, non possum non me-
minisse illius temporis, quo privatos intra parietes
olim, in primis adolescentiæ tuæ annis, mihi decen-
ter in studia tua Scholastica inqvirenti, apte ac erudi-
te, non sine admiratione mea, iterum iterumqve re-
spondebas. Præsentes erant, qvi testes adhuc omni
exceptione majores esse possunt, Per - Illustris Excel-
lentissimusqve Dn. KOSPOTHIUS, Affinis Tuus
Colendissimus, ipseqve Generosissimus Dn. Parens,
ad cujus nutum ex Optimis Autoribus de iis do-
ctrinis, qvarum capax poterat esse ætas tua, Tecum
agebam, eo semper eventu, ut applausus Auditorum,
quid? Judicum gravissimorum sponte subsequere-
tur. Ego verò ex his progressionibus tuis, qvas nun-
quam non feceras, egregiis, conjectura id, qvòd ho-
diè fit, assequabar certissime, fore, ut inter Academi-
cam aliquando Juventutem floremqve Nobilitatis
ipsum

ipsum eruditione non minus quam aliis virtutibus
emineres haud parum. Eodem nimirum vatici-
nandi genere utebar, quo hortulani hodie de arbu-
sculis ornate copiosèq; efflorescentibus prædicunt,
gratiam illam Veris, quæ oculis naribusq; nostris
ablandiuntur, nova quotannis augmenta capturam
esse, quæ magis etiam magisq; afficere nos ac re-
creare possit. Quinimò audeo ulterius eos sequi,
& ex his fragrantissimis floribus tuis fructus non
paucos nec vulgares Bono Publico promittere: qua-
lis illorum de floridis arboribus spes & divinatio esse
solet. Ipsius Ciceronis hoc simile ac effatum est,
de senect. c. 21. quo nullum aliud verius ac pulchrius: *Ver tan-
quam adolescentiam significat, osten-
ditq; fructus futuros.* Percipiat hos Res-
publica olim ex Te ad abundantiam usq;! Gloria
Majorum Tuorum servetur & augeatur (si tamen
augeri potest, cum jam sit amplissima,) per Te im-
mensum! Sic Eruditi habebunt, de quo inter Nobi-
les sibi gratulentur; Nobiles, de quo inter Eruditos
glorientur. B. V. Scribeb. Lips. prid. Cal. Maij,
A. 1693.

D. Val. Alberti.

I. N. J.



I. N. J.
CONSPECTUS
TOTIUS DISPUTATIONIS.

1. *De mutabilitate actionum humanarum.*
2. *De rerum mutatione, & in specie de eâ, quæ circa corpus ipsum contingit.*
3. *De mutatione rerum circa qualitates.*
4. *Transmutationis definitio nominalis & realis.*
5. *De personis, quibus jus transmucandi feudum competit.*
6. *In specie de publicis ecclesiasticis.*
7. *De personis publicis secularibus, præcipuè de Imperatore Romano-Germanico.*
8. *De Rege Romanorum.*
9. *De privatis personis.*
10. *De consensu agnatorum.*
11. *Vel simultaneè investorum.*
12. *Quomodo agnati vel simultaneè investiti consentiant.*
13. *Quid de expectivatis dicendum?*
14. *Quenam feuda hujus transmutationis sint capacia.*
15. *An inter feuda propria & impropria facienda sit aliqua differentia?*
16. *Transmutationis hujus ratio formalis.*

A

17. Quo-

17. *Quomodo illa fiat prescriptione ex parte Domini?*
18. *Quomodo ex parte Vasalli?*
19. *Quid si mortuus sit Vasallus sine successore feudali?*
20. *Quid juris in refutatione?*
21. *Vel in felonia?*
22. *An Dominus proprio motu id facere possit?*
23. *Quomodo ad instantiam?*
24. *Ostenditur in casu hic proposito nullam fieri transmutationem feudalem.*
25. *Uti nec in eo, qui hic loci exhibetur.*
26. *Describitur deus Borritt! in Lusatia superiori usitatus.*
27. *Nulla etiam est transmutatio, si in hereditarium feudi fiat conversio.*
28. *Idem dicendum, si simultaneè investiti promittant in literis reversalibus, se alienationem feudi non esse impedituros.*
29. *Sed quid si investitura sint inserta verba: zu haben / zu halten / zu verkauffen?*
30. *Quid de feudo foemineo?*
31. *Hic agitur de secularisatione.*
32. *Effectus transmutationis ratione Domini.*
33. *Ratione Vasalli & Agnatorum.*
34. *Quousque qualitas feudalis extingvatur.*
35. *An extincta qualitate feudali debita feudalia sint solvenda?*
36. *Contraria & Adfinia.*

I. Etsi,



si, secundum Imperatorem Justinianum
 in *Nov. 7. cap. 2. divina quidem res sint per-*
fectissima; tamen humani juris conditio
semper in infinitum decurrit. Et nihil est
in eo, quod perpetuò stare possit, cum multas
natura novas deproperet edere formas. Quid

enim potest esse stabile inter homines & immobile, ut nul-
 lam patiatur mutationem, cum omnis noster status sub per-
 petuo motu consistat. Sanè, si eamus per exempla, facile
 hujus rei veritatem invenire licebit. Sic Imperiorum sua
 sunt temporum intervalla, quæ ab exiguis rebus sumto initio
 velut adolescunt, inde ad majorem potentiam excrescunt,
 postea rursus decrescunt & intermoriuntur. Vid. ARNIS.
lib. 1. Polit. cap. 1. 2. 3. THOLOS. d. republ. lib. 22. Nulla
 enim tam perfecta societas unquam coit, quin vel dome-
 sticis atque ingenitis vitiis laboraverit, vel externo impetu
 infestata sæpius ac denique prorsus dissoluta ac collapsa fue-
 rit. BESOLD. *lib. 2. Polit. cap. 9. n. 11. GEILFUS. in opusc.*
Polit. Exercit. 7. apb. 2. CONRING. d. mutat. rerum publ.
tb. 3. Etiam civitates, & sæpè quidem ob perduellionem.
 FARINAC. *de delict. & pæn. cap. 24. n. 120.* latâ tamen pri-
 mum sententiâ declaratoriâ. DECIAN. *tr. Crim. lib. 7. c. 40. n. 48.*
 destruuntur, mœnibusque privantur, & ita aratrum pati,
 i. e. ita demoliri solent, ut vix vestigia civitatis relinqvantur,
 sed inibi terra culta aratro locum præbeat, non habitationi,
 sed sationi idoneum, quemadmodum experta est Carthago
 à Romanis. *l. 21. ff. quib. mod. ususfr. fin.* ab Abimelech Si-
 chem. *cap. 9. judic.* à Friderico Imperatore Mediolanum
 THOLOS. *in S. J. C. lib. 4. cap. 5. n. 15.* Quanquam secun-
 dum R. J. *d. Anno 1548.* ne quidem in crimine perduellionis

propter innocentes, pupillos, minores, prægnantes, infantes, pœna hæc amplius usu fervetur, sed pecuniaria potius exigatur. *M T N S. Cent. 2. obs. 30.* Sed & collegia integra, vel peremptis omnibus membris. *GL. in l. 7. §. 7. ff. quod cuiusque univers. nom.* vel recedentibus à se invicem mutuo dissensu. *arg. l. 1. §. 2. ff. d. colleg.* dissolutionem patiuntur, puta si singuli separatim sua habere cœperunt, & per decennium in separato statu steterunt. *MEV. P. W. dec. 278.* Et quis est, cui non constat, quod gentium familiarumque fortuna nunc floreat, nunc senescat, nunc intereat; quod nobilitas hujus familiæ longissimâ celebritate perennet, illius gloria caduca videatur, quod nonnullæ diu perstiterere, aliæ noviter suscitatae floreat. Unde observatum est nonnullis plerisque familiis esse certas temporum periodos, ut earum felicitas ultra abnepotes vel trinepotes rarò duraverit, *RICHTER axiom. œconom. 21.* Ita enim res mundanae sunt comparatae, ut ad summum perductæ, rursus ad infimum velocius, quam ascenderunt, relabantur. Denique non solum homines nascuntur, crescunt, decrescunt, moriuntur. *l. 40. ff. d. peculio*, sed & res cuiusque propriæ subinde mutationem recipiunt.

II.

Rerum autem mutatio vel circa corpus, vel circa qualitatem ei adhaerentem contingit. Corporis mutatio vel totalis est vel partialis. Totalis tum ipsius rei, tum solius formæ extinctione fieri solet. Illa corporis destructione naturali & casuali contingit, veluti, si navis sit dissoluta. *l. 88. §. 2. ff. d. leg. 3.* argentum peremptum *l. 30. §. 5. ff. ad L. Falcid.* si domus corruat. *l. 5. §. 2. ff. quib. mod. ususfruct. amitt.* aut sit combusta. *d. l. 57. ff. d. contr. empt.* Hæc per novæ speciei efformationem evenit, ut si
ex lanâ

ex lanâ composita sit vestis. *d. l. 88. pr. ff. d. leg. 3.* vel ex ali-
enis uvis aut olivis factum sit oleum & vinum. *§. 25. 7. d. R.*
D. aut ubi simul plura contribuuntur, ex quibus unum fit me-
dicamentum, aut si coctis odoribus unguenta facimus. *l. 27.*
§. 1. ff. d. A. R. D. Utrique mutationi totali commune est,
quod prioris rei nomen in aliud mutetur. Quæ etiam in-
dubitata nota est, quâ ab alterâ sui specie, quæ per partes
contingit, distinguitur. Accidit partialis, ut ad alterum
divisionis membrum veniam, vel quoad partem maximam,
vel dimidiam, vel minorem. Partis maximæ mutatio tota-
li non est adeò absimilis. Quomodo, domo exustâ ven-
ditâ, utroque contrahentium ignorante, si tota, vel major
pars perit, nulla est venditio; secus si dimidia sit, vel minor.
l. 57. pr. ff. d. contr. empt. ibique MUDÆUS FRANZ. *d.*
contr. empt. n. 105. Huic convenit, si res non extincta est,
sed saltem corrupta vel deteriorata. Sed tamen & illa suo
modo abesse dicitur. Nam & *abesse videntur etiam hæc, qua-*
rum corpus manet, forma mutata est. l. 14. ff. d. V. S.

III.

Et hæc quidem mutationem rei circa **corpus** con-
cernunt. Qualitates verò in affectione morali, motui
physico superveniente consistunt, quæ ab impositione, de-
terminatione & definitione entium intelligentium proma-
nat. Dn. PUFENDORFF. *d. orig. moralit. §. 2.* Atque hæc
pro diversâ conditione eorum, quæ de novo emergunt, in-
dies variare, nec uno eodemque perpetuo ac stabili modo
haberi solent. Credo tamen in duas classes illos redigi pos-
se, ita ut una tales mutandi modos contineat, quibus prior
qualitas in aliam & planè novam, quæ antea non existebat,
transfertur; veluti, si res aliena mea, libera servilis, vel em-
phyteuticaria, secularis ecclesiastica, allodialis feudalis fiat;

altera verò, detractâ qualitate imposititiâ & adventitiâ faciat rem redire ad pristinam suam, quam ab initio habebat, naturam; puta si res in prioris domini potestatem pervenerit, vel servilis libera, ecclesiastica secularis, feudalis allodialis facta fuerit. Quamquam verò in singulis hisce ingenium exercere liceat, placet tamen hâc vice ultimum juris articulum, qui de **transmutatione feudi in allodium agit, evolvere.**

IV.

Igitur sciendum est, **transmutationem** à vocabulo *trans*, & verbo *mutando* esse appellatam, præpositione augmentativâ *trans* significationem vocis augente, ut idem, quod immutare, denotet. Eodem modo, quo obligatio ab *ob* & *ligando*, quasi firmiter obstringendo, & depositum à *ponendo*, quasi totum fidei depositarii committendo, derivatur. BICCIUS *in sect. 4. rer. quotid. apb. 2.* Vox feudi à fide dicitur. 2. F. 3. cum etiam formam essentialem fides constituat. Unde vasalli fideles appellantur. 1. F. 5. CARPZ. *Disp. feud. 1. §. 24.* Et hanc derivationem aliis præfero, de quibus egerunt latè, ETBEN *in Elect. Feud. c. 1. §. 10.* STRUV. *S. J. F. cap. 2. apb. 1.* LUDWEL. *in Synops. J. F. cap. 2.* Allodium nomen habet ab *All* i. e. omne, & *Dede*, quod hereditatem, patrimonium, sive agros significat. Unde *Kleinodia*, quasi bona pretiosiora, *Sinoede*, quasi locus incultus, vel quasi *Allohde*, quia plerumque culta loca militibus dabantur in feudum, inculta vero & deserta aliis relinqvebantur. GOTHOFR. ANTON. *Disp. feud. 1. th. 2. lit. b.* LEOPOLD. ALBIN. SCHOPPIUS *tr. d. allodiis cap. 1. n. 3.* Quibus ita præmissis, sic definire licebit præsens negotium, quod sit **qualitatis feudalis in allodiam facta translatio.**

Illi verò, qui feudum in allodium transmutare volunt, directum habere debent dominium. Neceſſe enim eſt, ut qui rei qualitate imponere, eandem etiam adimere poſſit, *arg. l. 46. §. 1. ff. d. acquir. poſſeſſ. l. 80. ff. d. ſolut. l. 35. d. R. 7.* Et ſi plures ſint, utriuſque conſenſus deſideratur, quia in re communi prohibentis ratio eſt potior. *l. 28. ff. comm. divid.* Nec refert, Maieſtate vel Poieſtate territoriali præditus ſit dominus nec ne, ſiquidem jus ſuperius domino quâ tali in feudo competens ad hanc facultatem per ſe eſt ſufficiens, nec alio inſuper opus habet adminiculo.

VI.

Perſonæ vero, quibus hoc jus eſt comparatum, vel ſunt publicæ vel privatæ. Et illæ quidem vel eccleſiaſticae vel ſeculares. Ad eccleſiaſticas pertinet Pontifex, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epifcopi, Abbates, Abbatiffæ, Præpoſiti. Et Pontificem rem feudalem allodiam facere poſſe, dubium habet nullum, cui apud ſuos in eccleſiaſticis plenaria datur poieſtas. *cap. 2. d. præb. in 6. clem. 1. in fin. X. ut lite pendente* quique ex mente adulatorum ſupra jus, & contra jus, & extra jus omnia poieſt. BALD. *in cap. cum ſuper d. cauſ. propr. & poſſeſſ.* & omnia facit ut DEUS, non ut homo. *cap. inter. d. tranſlat. Epifcop.* nec ullus ei dicere poieſt, cur ita facis. SPEC. *Tit. d. leg. §. nunc oſtendendum. verſ. 89.* adeò ut ſi catervos animarum ad inferos detruderet, non cuique liceret ex illo quæerere, cur ita facis. *c. ſi papa. diſt. 40.* Idque etiam in alieno territorio expedire poieſt, quia hæc non ſunt contraria; alterius eſſe ſubditum, & alterius Vaſallum; modo non ſimul ejuſmodi actum faciat, qui maieſtaticam ſapiat poieſtatem. Talem enim eidem extra ſuas ditiones non concedimus. Potius, ſi di-

cen-

cendum quod res est, asserere non veremur, omnia ejus jura in manu Imperatoris esse, *cap. convenior. caus. 23 qv 8.* & apex Pontificalis, Imperatoriæ potestati inest. *Can. Clericos dist. 11.* Quod etiam expressè innuit Imperator Maxim. I. *in Comit. August. d. Anno. 1500.* sub Tit. Wie man mit dem Pabst handeln soll/ ibi. Des Reichs / des denn seine Heiligkeit zugethan/ Vid. CLUTEN. *in Sylloge rer. quotid. th. 6. lit. d.* STAMLER. *d. reservatis. §. 21. n. 3.* Unde sicuti in Germaniâ nulla Pontifici conceditur potestas contradicendi secularisationi bonorum Ecclesiæ. CONRING. *ad Bullam Innocentii X. cap. 6.* MAURIT. *d. secularis. bon. eccles. cap. 6. apb. fin.* maximè, quia per transactionem Passavii Anno 1552. initam, & pacem Religionis Anno 1555. Augustæ Vindellicorum secutam, ac tandem per pacem Osnabrugensem *art. 5. §. transactio.* confirmatam, unanimi Imperatoris, Electorum, Principum ac Statuum consensu, in terris Augustanæ confessioni addictorum suspensa fuit, ita ad hujus exemplum idem commodè de transmutatione feudorum ecclesiasticorum, sicuti necessitas vel utilitas publica illud exigit, est dicendum. Nec quicquam faciunt protestationes à Pontificibus sæpissimè factæ. Licet enim illæ conservent jus protestantis. *l. 5. §. 6. ff. d. oper. nov. nunc l. 10. ff. d. acquir. hered.* SURDUS *Part. 1. decis. 246. n. 11.* KLOCK. *tom. 1. Consil. 11. n. 10. §. 237.* MARQU. *d. jur. commerc. lib. 2. cap. 12. n. 86.* CARPZOV. *p. II. Const. 28. def. 10. n. 6.* & præsumtionem taciti consensus elidant. COLER. *ad cap. 20. X. d. sentent. §. rejudic.* attamen illud ita saltem verum esse potest, si protestans etiam jus aliquod habeat. Hoc enim deficiente, protestatio, utpote sine causâ facta, nihil operabitur. DECIANUS *Resp. 92. n. 72. Vol. 2.* & nullius est effectus. GTLMANN. *tom. 2. part. 2. Vol. 29. n. 11.* nec alteri præjudicat

judicat. Nunc vero apud nostrates in confesso est, Pontifici in bona Imperio subjecta, & quidem quia talia jus nullum competere. Sed illud potius ad Imperatorem & status pertinere. Nec in contrarium faciunt, quæ inter Henricum V. & Calixtum, item inter Fridericum III. & Nicolaum V. nomine Concordatorum Germaniæ sunt inita; Siquidem per ea nihil aliud Pontifici est commissum, quam ut saltem potestatem seu Jurisdictionem in Clerum & investituram in rebus ordinis, quæ olim per baculum & anulum fieri consueverat, haberent Dn. R H E T. *d. auctor. jur. Can. inter August. confess. consort. sect. 2. n. 42.* In reliquis Clericis adhibenda est distinctio, an in propriis an ecclesiasticis feudis hanc mutationem suscipere velint. Illud pro arbitrio suo liberè facere possunt. SCHNEID. *in epit. feud. p. 3. n. 21.* GIPH. *d. feud. cap. 6. n. 12.* Hoc vero casu Capituli consensum adhibeant, necesse est. Est enim hæc transmutatio alienationis species, quam solus Prælatus suscipere non potest. In omnibus enim actionibus præjudicium Ecclesiæ concernentibus consensus Capituli requiritur. *cap. 5. X. d. his quæ sunt à Prælat.* Neque movet, ad reinfeudationem eundem præcisè adhibendum non esse; Nam hujus alia datur ratio, quia nullum hoc modo Ecclesiæ infertur damnum, dum Prælatus solùm facit, quod ipsum quoque erat facturum Capitulum.

VII.

Ex personis publicis secularibus primas tenet sacratissimus noster Imperator, qui uti potest feuda Regalia ab initio conferre. *cap. de Marcbiâ. 1. F. 14. R. J. d. Anno 1521.* sub Tit. Röm. Königlicher Majestät. §. Ob auch Sachsen etc. GOTHOFER. ANTON. *Disp. feud. 1. th. 6. lit. D.* BESOLD. *in thes. Pract. voc. Fahn-Lehn.* SCHRADER. *de feud. p. 2.*

B

cap.

cap. 3. n. 6. deqve iis, tanquam supremus iudex jus dicere. *Ord. Cam. p. 2. Tit. VII. verb. Ob auch Sachen vorfielen. Capitul. Ferdin. III. art. 25. verb. der darüber ic.* ita etiam, si necessitas id postularet, adhibito consensu Electorum & Statuum Imperii, qualitatem feudalem in allodiam convertere, ac proinde, ut Regale desinat esse tale, efficere potest. Quod latius expositum vide in *tb. XV.* Nam quâ ratione omnis alia qualitas adventitia mutabilis esse censetur; eadem etiam in Regalibus feudis idem contingere posse, satis est expeditum.

VIII.

Utut verò **Rex Romanorum**, tanquam perpetuus Imperii Vicarius, omnia absente Imperatore facere *JACOB d. S. GEORGIO d. feud. verb. Vicarius perpetuus n. 9. &* quidem ea omnia ferè, quæ Imperator ipse, adeoque etiam feuda Imperii majora Principum infeudare possit *Aur. Bull. Tit. 5. de bonis tamen Imperii patrimonialibus nihil alienare, ac proinde nec feuda ejus in aliam formam transferre valet.* Nam cui saltem administratio, licet plenissima, competit, is non statim alienandi potestatem est consecutus, cum necessariò invicem non cohæreant, nec hoc ab illo dependeat *l. 12. C. de transact. l. 3. §. planè ff. quod vi aut clam arg. l. 7. §. 3. ff. proempt. MICH. d. l. tb. 29. CLUTEN. in Sylloge. rer. quotid. tb. 23. lit. C.* Sed Duces, Comites, Barones, Nobiles aliosque, Vasallorum suorum feuda, quæ ab illis recognosci solent, in allodialia bona convertere posse, ex antea dictis evinci facilè potest.

IX.

Privatas personas idem habere arbitrium, ex allatis facile infertur; modo aut ob defectum naturæ vel juris, volun-

voluntate & potestate alienandi non destituantur. Nam ab alienatione ad hanc commutationem faciendam affirmative & negativè firmiter inferri potest, vid. omninò. *Nov. 7. Cap. 1.*

X.

Necesse tamen est, ut **agnatorum**, vel **simultaneè investitorum** accedat consensus. Illis enim per primam investituram ita jus est quæsitum, ut sine eorum culpâ aut facto, mutatio quædam suscipi non possit. *2. F. 29. pr. SCHNEID. d. feud. p. 5. Cap. 2. n. 31. 35. WESENB. Consil. 4. vers. nec deinceps*, ubi notat: *formam prioris investitura in præjudicium agnatorum, qui non consensisse probantur, minimè mutari posse.* Idque adeò verum est, ut nec Princeps inter eos, qui sunt ejusdem agnationis & familiæ, ipsis invitis talem mutationem facere queat. *arg. §. fin. 3. de his qui sui vel alien. juris sunt. l. 2. §. 10. & 19. ff. ne quid in loco publ. MENOCH. Cons. 103. n. 56. vers. Principem non posse. PARIS. Cons. 22. n. 8. & Cons. 23. n. 141. 143. DECIAN. Resp. 24. Vol. 1. n. 7. GAIL. lib. 2. Obs. 49. n. 7.* ubi dicit; *non posse præjudicari agnato, nec in re, nec in spe, cum spes illa sit debita jure contractus: Itemque; quod consensus & confirmatio Principis agnatis minimè noceat.*

XI.

De **simultaneè investitis** idem asserendum quod hactenus de **agnatis** affirmavi. Succesit enim conjuncta manus in locum agnationis, atque per omnia naturam ejus est adeptæ, ita ut etiam ab agnatione ad investituram simultaneam argumentari liceat. *HARTM. PIST. lib. 2. qv. 20. n. 27. 28. CARPZ. lib. 6. Resp. 77. n. 11.* Cui consequens est,

hac investiturâ non conditionale, sed jus purum Vasallo
acquiri CARPZ. *d. l. n. 7. seqq.* quod est reale sed tamen planè
singulare, & inde jus peculiare operatur ZORGAUSCH. *Aus-*
schreiben Tit. Welcher Gestalt verb. ein beständig Recht an
Lehn. Ex quo nulla in præjudicium illorum valet transmu-
tatio. Nec tacitum consensum sufficere existimo, vel, quia
credendum est simultaneè investitum existimasse, jus suum
ubique durare. *l. 8. §. 15. ff. quib. mod. pign. vel hypoth.* vel,
quia hæc res est magni momenti, ubi semper consensum ex-
pressum adesse oportet. *arg. l. 25. §. 5. ff. ad A. & O. H.* Factâ
itaque à solo Domino & possessore feudi transmutatione si-
multaneè investitis actionem revocatoriam competere pu-
to, perinde, quasi res ipsa alienata fuisset. *arg. 2. F. 26. §. Titius.*
non quidem vivo possessore, sed tum demum, cum successio
feudi ad eos est devoluta *2. F. 8. §. Hoc quoque.* W E S E N B. *de*
feud. Tit. de alien. feud. n. 19. quia quamdiu hi vivunt, jus suc-
cedendi non habent. Nec obstat hoc modo veram aliena-
tionem non esse factam, utpote quæ non circa rei qualita-
tem, sed rem ipsam contigit; quia ad fundandam hanc acti-
onem sufficere debet, omne jus, quod in feudo habebat si-
multaneè investitus, eundem amittere. Filii verò facti
patris contravenire non possunt *l. 14. C. d. R. V.* ut & omnes il-
li, qui aliàs transmutantium existunt heredes. Nam ex cu-
jus personâ quis lucrum capit, illius etiam factum præstare
tenetur. *l. 149. ff. d. R. 3.* Neque enim ferendus est is, qui lu-
crum quidem amplectitur, damnum autem ferre recusat *l.*
un. §. 5. C. de cad. tollend. GOTHOFR. ANTON. *Disp. 10. tb. 5. &*
seqq. Sed & tum demum simultaneè investitis jus revocan-
di competit, si ipsi simul consenserint, non verò si possessor
proprio facto conjunctam manum impetraverit, vel quia ne-
que societas, qualis inter coinvestitos contrahitur, neque ne-
gotium

gotium illud bilaterale, quod inter Dominum & Vasallum
iniri solet, sine consensu subsistit CARPZ. *lib. 6. R. 76.* Idem
dicendum, si citra possessoris consensum quis ita investitus
est. Licet enim talis investitura Dominum obliget; ad pos-
sessorem tamen illa obligatio extendi nequit, cum satis sit
manifestum, adstringere illam certam solum personam. *pr.*
7. d. oblig. nec quenquam sine suo consensu ad aliquid tene-
ri. Quare possessor rem feudalem qualitate allodiali affi-
cere prohibendus non est *Id. d. l. Resp. 75.* Quid si ex plu-
ribus simultaneè investitis unus in transmutationem con-
sentiatur? Hoc cæteris non præjudicat. Est enim omnibus
statim ab initio jus quæsitum, quod alter alteri invito adime-
re non potest. *l. 74. ff. d. R. 7.* Et aliàs, quod communi con-
sensu est contractum, eodem modo dissolvi debet. *l. 35. l. 100.*
l. 157. ff. eod. Referrunt huc possunt verba *des Lehn-Rechts in*
Cap. 32. Die zusammen belehnet seynd / ihr keiner mag ei-
nem andern sein Gut daran leihen / noch auff lassen / damit er es
dem andern entführe. add. *HARTM. PIST. lib. 2. qu. 24.* De-
niqve moribus Gellriæ & apud Hollandos, Trajectenses,
Transisulanos, Brabantos, Flandros, atqve in plerisque aliis
vicinis ditionibus jus est Vasallo sua feuda donare, vendere,
permutare, onerare, modo id fiat domini assensu; agnatis
autem jus nullum competit sese opponendi, *FRID. à SANDE*
in Comm. in Gellria consuetud. Tract. II. Tit. 2. Cap. 1. n. 4. §
10. § JOHANN à SANDE de probib. rer. alienat. cap. 5. p. 1. §. 2.

XII.

Consentiunt autem vel Agnati & simultaneè inve-
stiti, tum verè tum fictè. Verè aut expressè aut tacitè.
Illud fieri potest, si in præsentia Domini aut testium se de-
clarent. Tacitè vel per subscriptionem libelli petitorii,

quem fortè possessor feudi Domino exhibet, vel literarum investituræ. Subscribens enim habetur, ac si scripturam ipse confecisset, BARTOLUS *in l. emptor 47. §. 1. ff. de pact.* Nam subscriptio inducit consensum & obligationem *l. 8. §. 15. ff. quib. mod. pign. vel hypoth. solvitur.* BARTOL. *in rubr. C. de fide instrument.* CARPZ. *p. 1. Const. 17. def. 17.* nec non præsumtionem plenæ notitiæ eorum, quæ in scriptura subscripta habentur CARD. TUSCH. *tom. 6. Concl. 761. n. 2.* ita ut etiam plenam contra scribentem fidem faciat *l. 9. §. 3. ff. de jur. dot.* DECIAN. *Vol. 2. Resp. 108. n. 62.* Sed hæc ita, ubi simultaneè investitus se subscripsit ut talis, secus si ut testis arg. *l. 6. C. d. fidejuss. l. 15. C. de administ. tut. l. 14. C. si certum petat.* HERING. *de fidejuss. cap. 11. n. 101. & cap. 17. n. 5.* ZOESIUS *ad l. 126. ff. de V. O. n. 13.* Unde communiter testes subscribentes adjiciunt clausulam: *Als Zeuge / iedoch mir und den Meinigen ohne Schaden.* Quam clausulam abundantem cautelam esse rectè observavit HERING. *d. tr. cap. 17. n. 7.* cum ipso jure subscribens, & ipsius heredes, ex nudo subscriptionis actu maneannt indemnes MOLL. *ad Const. Sax. 52. n. 17. & seqq. p. 2.* COLERUS *de process. execut. p. 3. cap. 1. n. 127.* maximè quia in dubio saltem aliquem tanquam testem subscripsisse præsumitur arg. *l. 25. ff. de probat.* BRUNNEMANN *ad l. 6. C. de fidejuss.*

XIII.

Alia ratio est illorum, quibus expectativa est concessa. Nam his nullum competit jus contradicendi, siquidem nihil amplius ipsis acquiritur, quam ut promissorem saltem obligatum habeant, ut aperturâ contingente, vel feudum, vel pro diversitate circumstantiarum id quod interest præstent, ne utiqvam verò jus in re concedatur STRUV. *S. J. F. Cap.*

Cap. 7. apb. 7. CARPZ. p. 2. Const. 45. def. 1. Unde quemad-
modum res, in quâ alteri expectativa est promissa, liberè alie-
nari; ita etiam feudalis qualitas in allodiam transmutari
potest *arg. l. 21. ff. d. R. 7.* Hoc tamen observato, quod Do-
minus expectivato ad interesse teneatur. Et rectè quidem,
cum omninò hac ratione Dominus promissum non imple-
at. vid. SCHVREFF. *Cent. 2. Consil. 33.* secus quam feudi posses-
sor. Hic enim expectantiæ nomine nihil promisit, unde
etiam obligatus dici non potest. Sed prædicta procedunt
in expectativâ simpliciter concessâ; aliud igitur dicendum
de eâ, quæ per investituram abusivam est confirmata, utpote
per quam dominium utile transfertur *2. F. 8. §. rei autem 2. F.*
26. §. si facta. 2. F. 88. ibi: sine possessionis traditione. DUAR. *d.*
feud. Cap. 7. n. 6. FINCKELTH. *disp. feud. 7. tb. 3.* CARPZ. *disp.*
feud. 6. tb. 4. Nec obstat, quod pendente conditione ipsa
obligatio ex conventionem veniens suspendatur. *l. 213. ff. de V.*
§. & pro eo habendum, ac si non existeret. Nam quod pen-
det, non est pro eo quasi sit *l. 196. §. 1. ff. de R. 7.* cum de futu-
ris contingentibus non sit determinata veritas. JACOB. GO-
THOFR. *ad d. l.* Respondetur enim distingvendo inter con-
ventionem in se spectatam, & traditione vestitam. De illâ
verum est, quod suspendatur; quanquam neque hoc aliter
quam saltem quoad ejusdem exercitium affirmari possit.
Nam quoad actum primum adesse obligationem, vel inde
patet, quod spes conditionalis transmittatur ad heredes *§. 4.*
§. de inutil. stipul. ita ut pendente conditione obligatio qua-
si in utero materno lateat. Hæc effectum domini tribuit
l. 16. ff. de solut. licet saltem conditionalis, quæ tamen eo
ipso momento, quo vacantia seu apertura contingit, sese ex-
ferit, ut etiam retrò acquisitum intelligatur *arg. l. 7. ff. de*
perce & commod. rei vend. Nec quicquam facit, quod in-
vesti-

vestitura à traditione distingvatur. 2. F. 2. pr. 2. F. 7. §. 1. 2. F. 26. §. si facta, quibus textibus in contrarium moventur MATTH. de AFFLICT. 2. F. 7. §. 1. n. 2. ROSENTHAL. de feud. cap. 6. concl. 6. n. 7. ANDR. de ISERNIA 1. F. 26. §. si facta. ARUM. disp. feud. 5. th. 9. MTNSING. Cent. 4. Obs. 61. GAIL. l. 2. Obs. 152. STRUV. S. J. F. cap. 8. apb. 9. n. 1. BITSCH. in comment. jur. feud. 2. f. 2. His enim dudum ex asse satisfacit Illustri JCtus, Dn. JACOBUS BORNIUS in disput. de Expectativis Anno 1675. in hac Academiâ habita, ubi in §. 19. sic loquitur: *Confundunt illi translationem possessionis cum translatione utilis dominii. Verum quidem est, abusivam investituram, sive purè, sive in eventum certum factam, nunquam transferre possessionem, sed ad hanc nanciscendam actum alium apprehensionis exigi, propterea tamen per eam nihilominus jus feudi transit.* Consentit Dn. RHET. ad 1. f. 3. verb. eo tenore alia dederit p. 166. addens: *Serenissimus itaque Elector Brandenburgensis non nuda jus ad rem saltem inferente expectantia in Archiepiscopatum Magdeburgensem cum pacto secularisationis olim gaudebat, licet hac clausula quoad possessionem apprehendendam sola exprimatur, nullo constituto possessorio addito art. II. §. similiter Instr. pacis Monaster. Sed quoque jure reali omninò munitam, quod ex sequentibus ejusdem articuli paragraphis abundè elucet, qui non solum subditis ejusdem Archiepiscopatus in illum eventum homagium injungunt, sed etiam cavent, ne prasens Reverendissimus ac Serenissimus administrator oneribus aliquibus vel debitis, deinde exsolvendis pragravet, vel ulla electio vel confirmatio quicquam contra facta valeat.* Ante vacantiam igitur potentissimo Electori non jus proprietatis, sed tantum administrationem defuisse ostendit Dn. HEROLD. in Consult. deciv. d. l. n. 78.

XIV.

Transmutationis capacia sunt feuda quævis, modo in novis Domini, in antiquis verò simul agnatorum, vel simultaneè investitorum consensus concurrat. Nec inter Regalia, & non Regalia faciendâ est distinctio, quod quidem in his expeditum est satis; In illis autem occurrere poterat omninò talis dubitatio, quòd transmutatio nostra alienationem sapiat; Nunc vero bona, quæ Reipublicæ & Imperantium usibus sunt destinata (qualia feuda imperii esse, ambiguum censei non potest) inalienabilia esse videntur. vid. GROT. *d. J. B. & P. lib. 2. Cap. 6. n. 11.* HOTOMANN. *qv. illustr. 1.* ROSENTHAL. *d. feud. p. 3. Concl. 21. n. 5.* HEIG. *p. 1. qv. 19. n. 5.* BRUNNEM. *Consil. 1.* Unde in Capitulatione Leopoldina §. 12. sequentia extant verba: *Zu dem und insonderheit sollen und wollen wir dem H. Römischen Reich/ und dessen Zugehörungen nicht allein ohne Wissen/ und Willen/ und Zulassen gemeldeter Churfürsten sämtlichen nicht hingeben/ verschreiben/ verpfänden/ versehen/ noch in andere Wege vereusern &c.* Sed & publica Imperii lege definitum est, de rebus ad Electoratus pertinentibus nihil alienari posse. *Aur. Bull. Tit. 20. ibi: Daß ein jedes solches Fürstenthumb mit dem Recht und Stimm der Wahl/ dem Ampt/ Würdigkeit/ und andern pertinentien/ immer zu ewigen Zeiten unzertheilt beyammen bleiben solle.* Ergò nec in allodium transmutari debent. Nam quando generaliter alienatio prohibita reperitur, tunc etiam prohibita est rei commutatio *Nov. 7. cap. 1.* Attamen vel ob necessitatem, quæ de non licito facit licitum *l. 1. C. de oper. lib. cap. 4. X. d. R. 7.* vel utilitatem publicam, cum honesta sit omnis ratio expediendæ salutis, talem alienationem fieri posse, pro certo habendum. Multa namque contra strictam juris rationem ob pacis conservationem, tranquillitatem & concordiam

C

am

XIV.

am sunt recepta l. 64. §. fin. ff. d. cond. & demonst. BART. in l. quemadmodum C. de agric. & censit. Hinc ad obtinendam pacem in Instrumento pacis Cæsareo Gallico de Anno 1648. §. 70. & seqq. Regi Galliaë supremum Dominium, jura superioritatis aliaque omnia in Episcopatum Metensem, Tulensem & Virodunensem, urbesque cognomines, eorumque Episcopatum districtus & nominatim Moyenvicum ita est concessum, ut in posterum ad coronam Galliaë spectare, ei que incorporari debeant in perpetuum vid. LEOPOLD. ALB. SCHOPPIUS *tr. de allod. cap. 1. in fin.* addens: Diese und nachfolgende Güter seynd souverain allodial Güter der Cron Frankreich worden/ Et in *Instr. pac. Cæs. Svec. art. 11. §. 1.* provisum est, ut potentissimo Electori Brandenburgico liceat quartam partem Canoniatuum, decedentibus successu temporis modernis eorum possessoribus, Augustanae confessioni addictis, extinguere eorum redditus, ut & totum præbendarum corpus Episcopatus Camminensis tanquam partem Regalis feudi, mensæ Episcopali incorporare. Item Bizanzium, civitas in Comitatu Burgundiaë sita, in Franckenthal, Anno 74. Gallis pace Noviomagensi cessit. Quæ, utpote coronæ nunc annexa pro allodio haberi cœpit. Sed & Ducatus Borussiaë, feudum antehac Polonicum An. 1657. à Rege & Republicâ Poloniaë à nexu feudali liberata, & per modum allodii plenoque jure Electori Brandenburgico pacto Velaviensi concessa fuit. GASTEL. *de Statu publico Europæ cap. 19. n. 157. seqq.*

XV.

Nihil porro interest, an feudum sit proprium an vero improprium. Nam & posterius feudum esse constat. De hereditario saltem dubitari poterat, ex eo, quod qualitatem

tatem allodiam habere videatur, dum in illo omnes extranei heredes succedunt SOCIN. *Consil.* 112. n. 5. & de eo Vasallus possit facere, quicquid velit, etiam sine domini directi consensu CRAVETT. *Consil.* 256 sub. n. 4. ZAS. *d. feud. p. ult. n. 29.* THOM. de MARIN. *d. feud. Tit. 31. n. 2. & 9.* DEC. *Consil.* 193. sub. n. 5. Unde in legitimam imputatur CURT. JUN. *d. feud. p. 4. n. 134.* & ut res quælibet alia hereditaria venit in hereditatis petitionem. WURMS. *de feud. impropr. Class 3. sect 4. n. 98. & seqq.* Quo posito, sequi videtur, feudum hereditarium non esse adæquatum hujus transmutationis objectum. Frustra enim quæritur, an res fieri possit allodialis, si jam talis existat. Nam quando de fine constat, de mediis non debemus esse solliciti, quia quando finis habetur, cessant destinata ad finem arg. *§. sed si est. f. de suspect. tut.* NEBELKRÄ *decis. 3. p. m. 58.* Sed his non obstantibus, contrarium rectius asseritur, quia aliud est, esse allodium, aliud pro tali haberi. Licet enim rerum allodialium effectus feudo hereditario sint communicati, ob id tamen illud feudum esse non desinit, sed potius rationem formalem ejus, quæ in potestate morali utendi fruendi cum jure proprietatis Vasallo in re sub lege fidelitatis concessâ consistit, salvam & integram retinet. Nec est novum, ut naturalibus, (puta externis) detractis, substantia rei duret. Sunt enim ex eorum numero quæ Logicis accidentia separabilia, item naturalia separata vocantur vid. NELDEL. *de usu organ. p. 571.* quem sequitur Dn. SCHILTER. *in prax. art. analyt. cap. 2. §. 21.*

XVI.

Consistit autem transmutatio in illo actu, quo feudo qualitas feudalis adimitur, eaque in allodiam convertitur. Quod variis modis accidit. Quos tamen sub

C 2

dupli-

duplici classe comprehendi posse existimo, ita ut alii sint, qui in legibus jamjam sunt determinati; alii vero demum ab hominum determinatione pendeant. Ad illos placet referre præscriptionem, mortem possessoris feudi sine successoribus feudalibus evenientem, mutationem conditionis Vasalli, refutationem.

XVII.

Præscriptione uti feudum acquiri 2. F. 26. §. si quis per 30. annos. ita rursus eadem amitti potest. l. 35. ff. d. R. 7. Quod vel ex parte Domini vel Vasalli fieri solet. Ex Domini parte id contingit, si contra Vasallum feudi libertatem præscribere velit, modo illud tanquam liberum per tempus lege definitum possederat. arg. l. 4. §. fin. ff. de usucap. & l. 6. ff. d. S. U. P. ubi servitutum urbanam debens libertatem prædii usucapit & §. pen. 7. de usufructu, ubi usufructus non utendo amittitur, & ita cum proprietate consolidatur. Facit etiam, quod unaquæque res sui natura sit libera l. 8. C. de serv. & aqua. & facilè ad naturam suam revertatur. Nec obstat, quod Dominus videatur esse in malâ fide, quæ omnem præscriptionem impedit. cap. fin. X. de præscript. Nam respondemus. Vel enim mala fides in præscriptione 30. annorum non attenditur; vel hic non tam dominium, quam confirmatio domini acquiritur, ubi malæ fidei rationem non haberi notat. BALB. de præscript. part. 4. §. 5. qv. 3. n. 9. Unde refert UDALRICUS ZASIUS, de facto se habuisse hunc casum in quodam nobili, qui tanquam dominus feudi quietè tentierat feudum, idque ut rem suam plusquam per annos 30. possederat; postea venisse alios nobiles, agnatos se esse, jactantes eorum Vasallorum, qui ante defuncti fuere, feudumque petiisse, sed repulsam eos tulisse in tract. feud. p. 6.

n. 3.

n. 3. verf. *is est consequens*. Et hanc sententiam in Camera Imperiali, in causa Nobilium de Rōden / contra Comitem de Wertheimb observatam fuisse, testis est MYNSING. *Cent. 4. obs. 28.* In Galliā verò, adeoque in Præpositatu & Vice Comitatu Parisiensi, Balivatu Senonensi, Aurelianensi & alibi passim eam non obtinere, latè demonstrat BOERIUS *in decis. aur. 211. n. 9. seqq.* Dicta verò non eodem modo adversus agnatos procedunt, contra quos vivente Vasallo talis præscriptio non currit, cum eo tempore jus agendi non habeant *1. F. 9. §. donare 2. F. 26. §. Titius filios*, siquidem non valenti agere, ob juris impedimentum, non currit præscriptio *l. 1. §. ne autem C. de annal. except. l. 1. C. de divers. & temp. præscript.* Et fanè certum est, quod, ubi nulla est negligentia, ibi etiam non possit inferri aliqua poena *l. 32. C. de pænis*. Post mortem verò Vasalli etiam adversus agnatos dominum libertatem feudi præscribere posse, dubium non habet. Sed restricta est hæc sententia saltem ad casum, si dominus possideat feudum; Nam si ipse Vasallus possidet, etiamsi per 30. annos nullum Domino præstiterit obsequiū, quia fortè non petebatur, nec ipse se offerebat, tamen nullo tempore Dominus libertatem sui prædii præscribere valet *1. F. 21. §. 1. 2. F. 26. §. licet Vasallus*. RITTERSH. *part. feud. cap. 18. qu. 9.* quia sine possessione usucapio contingere non potest. *l. 25. ff. de usurp.* WURMS. *de feud. improp. Class. 3. sect. 3. n. 33.*

XIIX.

De Vasallo idem, quod de Domino allatum, asserendum, nimirum eundem libertatem quoque contra Dominum præscribere posse. Quod contingere benè potest, si rem non amplius ut feudalem, sed allodiam possidet.

C 3

Requi-

Reqviritur ergò possessio, quæ in eo consistit, ut Vasallus tales actus faciat, ex quibus appareat, se rem sub allodii & non feudi jure tenere, veluti, si Domino exigenti servitia denegaverit, vel nullam petierit renovationem investituræ, vel alios recusaverit actus, quos Vasallus ut Vasallus facere debet. SCHULTZ. *in Synops. J. F. Cap. 9. n. 95.* ubi in Dicasterio Wittebergensi sic responsum fuisse refert: Weil die Besizere des Guts N. über rechtsverwehrte Zeit keine Lehn gesucht / und Lehn-Wahr davon entrichtet / da doch immittelst sich viel Fälle und Veränderungen zugetragen / So mögen sie nunmehr zu dergleichen Suchung der Lehn und Entrichtung der Lehn-Wahr wider ihren Willen nicht angehalten werden. Sed citra tale factum præscriptio currere non potest, cum nemo causam possessionis solo animo sibi mutare valeat *l. 3. §. 19. l. 19. §. 3. ff. de usurpat. arg. l. 2. C. de præscript. 30. vel 40. ann.* VULTEJ. *de feud. cap. 9. n. 19.* RITTERSH. *part. feud. lib. 1. cap. 18. qu. 10.* BOCERUS *de præscript feud. Cap. 2. n. 70. seqq.* Et quamdiu Vasallus rem tenet sub qualitate feudali, is semper dominium directum agnoscit, sicque rem alienam habere, profitetur. Atque in hoc sensu verum est, eundem in mala fide esse constitutum. RITTERSHUS. *d. l.* WURMSER. *d. l. n. 35.* LUDVV. *de feud. cap. 8. qu. pen.* STRUV. *in S. J. F. cap. 15. apb. 3. n. 5.* Obtinent autem prædicta, si agatur de Vasallo contra Dominum præscribente. Quid verò, si tertius, in quem res sine Domini consensu est à Vasallo translata, præscriptionem objicere velit, an sit audiendus, quæri potest? Nos eundem repelli debere existimamus, tum per textum, in *cap. Imperialem 2. F. 55. pr. vers. nos autem.* Ibi: *Hujusmodi alienationes illicitas hæctenus perpetratas hac præsentis sanctione cassamus, & in irritum deducimus nullius temporis præscriptione impediante,* tum per rationem adjectam,
quia

quia quod ab initio de jure non valuit, tractu temporis con-
valescere non debet, tum denique, quia lex prohibendo a-
lienationem, etiam usucapionem prohibuisse videtur. Nam
& is alienat, qui usucapi patitur *l. 28. ff. d. V. S.* Nec in con-
trarium facit, quod omnis actio 30. vel 40. annorum spatio
excludatur *l. fin. C. de prescript. 30. vel 40. annors.* Id enim ad
terminos habiles est restringendum, neutiqvam verò ad ca-
sus, quibus expressè inhibetur & vetatur præscriptio, trahen-
dum. Ab his verò, quæ jam adduxi longè differt, si tertius
non contra dominum, sed alium Vasallum præscribere ve-
lit. Id enim fieri posse, constans est Feudistarum sententia,
cum nullum hac ratione Domino, extraneum in locum Va-
falli spontè recipientis, inferatur præjudicium RITTERSH. *d.*
l. 9v. 12. & seqq. WURMS. *d. l. n. 45. seqq.* Sed nec præscri-
ptionem in memorialem exclusam esse putandum est, quæ
vim privilegii habet, *cap. super quibusdam X. d. V. S.* Unde
licet statuto vel privilegio tollatur præscriptio, centenaria
tamen vel illa, cujus initii memoria non extat sublata non
censetur. FELIN. *in rubr. X. de prescript. n. 18.* TIRAQV. *de*
retract. convent. §. 1. gloss. 2. n. 12. MOLINÆUS *in consuetud.*
Paris Tit. 1. §. 12. verb. prescript. n. 14. ubi scripsit: *Præ-*
scriptionem immemoriam nunquam censeri exclusam etiam
per legem prohibitivam, & per universalia negativa & gemi-
nata verba quamcunque prescriptionem excludentia. add.
NATTA. *Cons. 154. n. 7.* DECIAN. *Vol. 1. Cons. 24. n. 114.* CRA-
VETTA *de antiq. temp. p. 4 §. materia n. 45.*

XIX.

Porro feudum in allodium mutatur, si Vasallus sine
successore feudali decedit. *c. un. verb. Clientulus 1. F. 13. c. un.*
verb. sitamen 2. F. 9. Nam hoc modo dominium utile cum
directo

directo consolidari, satis est certum. Nec postea cognati proximi petere possunt, ut sibi potius, quam extraneo Dominus feudum transmutatum concedat, partim, quia nemo invitus contrahere tenetur *l. 5. C. de O. & A.* nec quisquam recipere tenetur invitus Vasallum, quem non vult habere; partim, quia quilibet liber rei suæ moderator & arbiter haberi debet. Iniquum certè futurum esset, si ingenuus homo liberam rerum suarum administrationem non haberet. *l. 2. ff. si à parent. quis manum.* Unde JULIUS CLARUS id nunquam se vidisse in praxi servari, & durum sibi videri testatur, ut Dominus proximos cognatos defuncti de feudo sibi aperto in vestire cogatur. *in §. feudum qv 87.* Et in Germaniâ id non usurpari notavit VULTEJUS. *d. feud. lib. 1. Cap. II. n. 117.* Huic mutationi simile est, si Vasallus Clericus factus fuerit, aut votum religionis assumpserit *cap. si de feud. §. qui Clericus 1. F. 26. cap. si fœmina 2. F. 30.* Sic enim inhabilis ad servitia redditur. *cap. miles. 2. F. 21.* Certum verò est, ut si res incidat in negotium, à quo initium capere non potest, penitus illa extingvitur *§. 2. J. de inutil. stipul. §. 6. J. de nox. act.*

XX.

Ulterius etiam **refutatione** feudum qualitatem suam amittere constat; non ea quidem, quæ descendenti- bus vel collateralibus fieri solet, in quâ solum personæ Vasalli fit mutatio, ipsa feudali qualitate salvâ manente; sed quæ in manus domini dirigitur, puta si feudum est novum & simultaneam investituram nemo impetravit. In antiquo enim hæc renuntiatio jus feudi non extingvit, sed suspendit solum tamdiu, donec refutans Vasallus cum liberis existant; His enim decedentibus datur agnatis potestas revocandi. Et hæc locum habent tam quoad feudum totum, quam ejus partem

2. F.

2. F. 28. quia quod jus est circa totum, idem etiam est circa partem §. 8. 7. de fideicommiss. hered. l. 76. ff. de R. V. nec distingvimus utrum feudum ligium sit nec ne, vel, quia nulli ligium feudum excipitur, vel etiam, quia non potest dari ratio diversitatis, cur in feudo ligio aliud, quam in non ligio obtineat. Imò etsi invito Domino refutatio fiat, tamen eam hunc effectum habere existimo. Feudum enim principaliter consideratur ratione favoris Vasalli, cui ipse renunciare potest l. 51. C. de Episcop. & Cler. l. 41. ff. de minor. & arg. l. 65. ff. de usufructu, ubi etiam usufructuario invito domino proprietatis usumfructum relinquere conceditur. Nec pro contrariâ sententiâ facit, quod Domino non liceat invito Vasallo renunciare proprietati, E. nec Vasallo licebit dominio utili, invito Domino se abdicare, maximè quoniam aliàs est certum, quod ambo judicentur ad paria, cum mutua inter eos nata sit obligatio; ut taceam, inter utrumque statim ab initio contractum feudalem, qui est ultro citroque obligatorius, fuisse celebratum, ut proinde ratio juris non videatur admittere, quod unus altero invito ab eo recedat l. 5. C. de O. & A. l. 17. §. 3. ff. commodati l. 2. C. quando liceat ab empt. disced. Nam hæc facile refelli possunt ex eo, si pensitaverimus, manifestam hic subesse rationem diversitatis, quia Dominus, cui feudum refutatur, ex tali refutatione nullum patitur damnum. Recipit enim plenam proprietatem, & facilè aliquem, si facere velit reinfeudationem, invenire potest, qui fidelitatem sibi de novo promittit; Vasalli verò multum interest, ne jure suo & beneficio defraudetur. VULTEJ. d. feud. lib. 1. cap. 10. n. 76. TABOR de refut. feudi cap. 3. aph. 3. seqq. HUNNIUS de feud. cap. 12. aph. 9. ARUM. disp. feud. 7. tb. 10. Et hanc sententiam communem esse, testatur ROSENTHAL. de feud. cap. 9. concl. 67. & intrepidè seqvendam

D

monet

monet *MIRNS. Cent. 6. Obs. 65. n. 7.* Adde *LUDVV. in Synops. 7. F. cap. 15. p. m. 309. seqq.* qui subjicit: hoc casu Vasallum refutantem Domino ne quidem ad interesse præstandum esse obstructum, additâ hac ratione, quia ex naturâ feudi, & jure sibi concessio Vasallo hoc licet, ut proinde nulla sit causa, cur ad interesse compelli debeat. Quod enim lege permittente fit, pœnam non meretur. *l. 4. C. ad L. Jul. de adult.* Modo tamen refutatio fiat tempestivè. Nam si Dominus in prociuctu existat eundi in bellum, illa non admittitur. *SONSBEC. pr. 12. n. 117.* *WESENB. de feud. cap. II.*

XXI.

Ab his differt amissio feudi per *feloniam* facta, utpote qua non contingit perpetua juris feudalis extinctio, sed dominus saltem ad tempus, quoad delinquens Vasallus & ejus liberi vivunt, dominium utile directo habet incorporatum; puta, si feudum est antiquum, & agnati supersint *STRUV. in S. J. F. Cap. 15. apb. 14.* vel novum quidem, sed tamen simultaneè investiti existant *CARPZ. p. 3. C. 23. def. 1.* secus si in antiquo agnati, & in novo simultaneè investiti deficient. Ita enim veram contingere consolidationem, satis esse potest expeditum.

XXII.

Præter modos recensitos Dominus etiam proprio motu ex capite liberalitatis, vel ob aliam causam hunc actum expedire potest, modo Vasallus non contradicat, quod eidem facere omninò est integrum, cum ejus interesse possit, ut res in suo statu maneat. Neque etiam beneficium in invitum confertur *l. 69. ff. de R. 7.* nec liberalitas nolenti acquiritur *l. 19. §. 2. ff. de donat.* *ZOES. ad Tit. ff. de donat. n. 23.*

CARPZ.

CARPZ. lib. 5. Resp. 62. JOHANN à SANDE decis. Frisic. lib. 5.
Tit. 1. def. 1.

XXIII.

Ad instantiam verò Dominus hunc actum peragere solet, si literis supplicibus super ea re confectis adeatur, quibus Vasallus causam, quæ ipsum ad talem petitionem movit, inferere, & si placet, illas hoc modo formare potest:

P. P.

Eur. Churfl. Durchl. geruchen gnädigst sich vortragen zu lassen/ welcher gestalt dieselbe/ besage beykommenden Lehn-Brieffs de dato N. N. nach beschriebene Güter in Leipzigerischen Creisse gelegen/ als das Dorff N. und den Rittersitz mit aller Zugehörung/ Wiesen/ Aekern/ Hölzern/ Teichen/ Wäldern/ Weiden/ Fischereyen/ Lehn-Wahren/ Frohnen-Diensten/ sammt den Ober- und Erb-Gerichten/ auch hohen- und mittel-Jagden/ Recht und Gerechtigkeiten mit — Thlr. — Gr. Geld-Zins auch einer Schäferey und einer Trift und Flur/ so wohl ein Erb-Krasschmarz. mir in Lehn reichen lassen; Nun ich dann dieses Lehn neu erkaufft/ und in dasselbe mein bereitestes Vermögen verwendet/ gleichwohl aber aus der mit meinem Weibe gehalten Ehe keine Leibes-Lehns-Erben/ sondern nur 3. Töchter erzeuget/ welche nach meinem Absterben/ ausser der legitimæ, davon nichts erhielten/ da ich doch die Mittel darzu mit schwerer Mühe und Wagniß meines Lebens/ und zwar in Eur. Churfl. Durchl. Kriegs-Diensten erworben/ Als ergeheth an dieselbe mein unterthänigstes Bitten/ Sie wolten/ weil zumahl keine Mitbelehnten verhanden/ die hohe Gnade mir erweisen/ und ermeltes Lehn in Erbe gnädigst verwandeln lassen

Eur. Churfl. Durchl.

unterthänigster

N. N.

D 2

His

His ita oblatis, liberum est Domino, an petitioni
Vasalli locum dare velit necne. Si illud placeat, sequuntur
literæ transmutatoriæ (der Vererbungs-Brieff) hoc modo
conceptæ:

Von Gottes Gnaden/ Wir etc. Thun kund/ daß Wir
auff demüthigstes Ansuchen der Erbaren Unserer Lieben Be-
sondern/ N. N. von N. gebornen von N. Witben/ Ihr Ritter-
und Lehn-Gut N. sammt zugehörigen Forwerk N. aus sonder-
baren Gnaden der Natur und Eigenschafft des Lehns benom-
men/ und selbiges in Erbe verwandelt haben; Thun das auch
aus Landes-Fürstl. Macht/ und von Obrigkeit wegen hiermit
und in Krafft dieses/ und wollen das berührtes Gut N. sammt
dessen Zugehörungen/ wie solche in denen vorigen darüber ver-
handenen Lehn-und Kauff-Brieffen/ auch Theilungs-Recessen
specificiret/ nebst dem Forwerk N. und dessen pertinentien/
von nun an und hinförder für rechtes Erbe gehalten/ und Sie
die von N. auch künfftige Besizere/ so wohl unter Lebendigen/
als auff den Todesfall darüber ungehindert disponiren und te-
stiren mögen / auch auff begebende Fälle die hinterbliebenen
Töchter/und dererselben Erben/so wohl Männlich als Weiblich
Geschlechts/mit einander zugleich/wie bey andern Erb-Gütern
succediren sollen/ iedoch vorbehältlich derer darauff haftenden
Præstationen/ und anderer Uns zustehenden Berechtigungen/
Treulich und sonder Gefährde/ Zu Urkundt haben Wir ge-
genwärtigen Vererbungs-Brieff mit eigenen Händen unter-
schrieben/und Unser Größser Insiegel daran wissendlich hängen
lassen/ geschehen und geben etc.

N. N.

XXIV.

Ex his igitur infertur, nullam fieri transmutationem
feudalem, quando in Lusatia superiori ex privilegio Impera-
toris

toris Maximiliani II. de Anno 1575. possessoribus feudorum,
etiam citra simultaneè investitorum, aut, his deficientibus,
agnatorum, utpote usque ad septimum gradum inclusive
hoc casu jus succedendi habentium, consensum liberè, sed
tamen secundum *Ord. feud. Elect. Sax. de Anno 1652.* in §. Als
erklären Wir ꝛc. inter vivos solum disponere permittitur,
tum per verba expressa dictæ ordinat. in §. Ob nun zwar ꝛc.
ibi: Ob gleich denen Agnaten das jus succedendi auff solche
Masse eingeräumet wird/ doch den Besizer dessen ungehindert/
mit seinen Gütern zu thun/ zu lassen/ frey und bevorstehen solle/
dadurch denn den Lehn Gütern die Natur/Art und Eigenschaft
nicht benommen/ noch dieselbe zu Erbe gemacht worden ꝛc. tum
etiam per rationem, quia hæc duo bene stare possunt, quod
Vasallus irrequisito Domino alienare, & nihilominus ille,
in quem alienateundem recognoscere, atque ab eo investi-
turam accipere teneatur *arg. l. fin. C. de jure emphytevt. MOD.*
PIST. Vol. 2. Conf. II. n. 17.

XXV.

Ex eadem ratione à transmutatione feudali remo-
vendus est casus, si Vasallus, deficientibus successoribus feu-
dalibus, adhuc ita sit validus & robustus, ut thorace ferreâ in-
dutus, equum generosum coram supremo Provinciæ præfe-
cto conscendere, sibi que hac ratione potestatem alienandi,
ex Privilegio Regis Ferdinandi de Anno 1544. acquirere vale-
at. Verba ejus inter alia sic sonant: Des gleichen/ wo einer
keine männlichen Leibes Erben hätte/ und so jung/ gesund und
stark wäre/ daß er in seinem Küriß von der Erden auff ein
Hengstmäßiges Pferd sitzen mag/ wann er dasselbe vor dem
Land-Boigt erzeiget/ soll er alsdann Macht haben seine Güter
zu verkauffen/ männigliches unverhindert/ wo aber unser Land-
Boigt

Boigt derselben Zeit aus Verhinderung anderer unserer Geschäfte im Marg-Graffthumb nicht wäre/so mag er solches und nicht eher/oder anders/ seinem Ampts-Verwalter an seine statt zu vollziehen aufserlegen. Ubi simul adducere placet, prædictum privilegium adhuc hodiè esse in usu, non solum ob citatum *Ord. feud. §.* Wir lassen *rc.* sed &, quia non semel illud usurpatum fuit. Et constat ex actis publicis, in causa quodam emergente fiscalem interposuisse protestationem ex sequentibus rationibus: Daß das Käyserliche privilegium de Anno 1544. pro forma essentiali eines solchen Vorritts erfordere/

1. Daß derjenige/ so solchen Vorritt thun will/ aus wahrer Treu und Pflicht/ damit er seinem Lehn-Herrn und Landes-Fürsten verbunden/ die Zulassung solches Vorritts suche und begehre.

per verba Privilegii §. und darum *rc.* ibi: Unterthänige Liebe und Treue zu Uns/ Als regierenden Könige zu Böhme und Marg-Graffen zu Lausitz/ ihren natürlichen Erb-Herrn Unsern Erben und Nachkommen.

Et in §. Doch wollen Wir *rc.* ibi: Uns an Lehen/ Diensten/ Pflichten/ unschädlichen und unnachtheilig seyn *rc.*

2. Daß derjenige/ so solchen Vorritt thun will/ eines mannhafftigen Alters sey/ keinem Männlichen Leibes-Ebens-Erben instehender Ehe erzeuge/ auch nicht einige Hoffnung habe/ einer solchen Männlichen Leibes-Ebens-Erben zu erzeugen.

per verba Privilegii: deß gleichen wo einer keinen Männlichen Leibes-Erben hätte/ und so jung/gesund/und starck wäre *rc.* quibus verbis ætas virilis perfecta cum ætate decrecente imbecilli & senectute non verò ætas juvenilis, cum ætate virili comparatur.

3. Daß

3. Daß derjenige so solchen Vorritt thun will/ selbigen in einem Küriß/ wie derselbe Anno 1544. und vorhero bey Adelichen Ritter-Leuten/ in Heer-Zügen vor den Landes-Fürsten zu Beschützung desselben/ und seiner des Ritters selbst eigener Person bräuchlich und nöthig gewesen zc. verrichte/

Nun erfodern aber gemeine Land-übliche Sächsische Rechte/ zu einem solchen Küriß nicht eine geringe/schlechte/ leichte Rüstung/ sondern eine ganze schußfreye Rüstung/ über des Ritters ganzen Leib; Nämlich/zum Haupt einen guten starcken Helm/ einen dergleichen Hals-Kragen/ ein schußfrey Brust- und Rückstück; An Armen/ Schenckeln/ Beinen und Füßen auch Händen/ gute starcke Rüstung/zusammit einem langen guten Panzer-mäßigen Schwerdt.

Sachsen-Spiegel *Lib. 1. art. 22.* ibique glossa *Weichbild art. 25. Lex ll. Ripuariorum tit. 36.* ibi: *Spatham cum Scogilo, Brunias bonas, Helmum cum directo, Bainbergas bonas, Halsbergam bonam, Wantos bonos & Manicas bonas.* Fridericus Lindenbrogius *in Glossario Legum antiquarum* verb. *Bainberga, Brunea, Wanti &c.*

Und dannenhero wird auch noch bey Leich-Bestätigung Adelicher Ritters-Personen denselben vorgetragen/ Ein solcher Helm und Handschuh/ und muß auch zum Heer-Geräthe bis dato noch gegeben werden/ nicht ein schlechter/ sondern der beste Harnisch.

4. Item, es wird pro forma essentiali eines solchen Vorritts erfordert/ daß zum Vorreiten gebraucht werde ein Hengstmäßiges Pferd / von den alten Francken und Sachsen genennet Waranio, item Waranio Regis, welches von dem
Ritters.

Ritters-Mann in Heer-Zügen zu des Königes Dienst gebraucht worden/

Lex Salica Tit. 40. §. 2. 4.

Heute zu Tage wird ein solcher Caballus oder Waranio Regis genennet ein guter starcker Hengst und Feindmüthiges/ und an der Musterung wohl pasirtes Roß.

5. So wird pro forma essentiali eines solchen Vorritts erfordert/ daß der Vorreitende mit vollem Kürasß/ und aller Zugehör angeleget/ solches Feindmüthiges Roß oder Hengst/ wenn solches mit einem zum Kürasß gehörigen guten tieffen/ und nicht mit einem flachen Sattel/ oder schlechten Post-Rüssen gelegt und wohl gesattelt ist/ vor des Landes-Fürsten hohen Beampten/ und in derselben Gegenwart ohne allen Vortheil und der freyen Erden beschreite und auffsiße. Und/

6. Mit allen solchen Stücken/ seine gute vöilige Leibes-Kräfte/ Mannheit und Stärke/ auch welche sich ein Landes-Fürst in Nöthen gegen seinen Feind zu verlassen habe/ in guter treuer That darthue und beweise.

XXVI.

Remotis postea impedimentis, peracta fuit solennitas, uti illa in actis desuper habitis sic reperitur notata:

Nachdem Herr N. N. seinen Vorritt zu thun/ bey Tit. dem Herrn Land-Boigterc. sich gebührend angemeldet/ und ein und andere preparatoria hierzu gemacht/ der Cammer-Procurator aber in Erfahrung kommen/ daß derjenige Harnisch/ den er zu solchen Vorritte gebrauchen wollen/ viel zu gering/ leicht oder dünne sey/ hat bey hochgedachten Herrn Land-Boigte Er Amptswegen eine Protestation eingeleget/ und nothdürfftige Erinnerungen/ wie dergleichen Vorritt allenthalben geschehen und beschaffen seyn müste/ gethan. Worauff Eingang er-melter

melter von N. N. sich einen andern Harnisch verfertigen lassen/
und nachdem derselbe in der Probe bestanden/ und so wohl an
Brust-als Rück-Stürken schußfren befunden worden (inmas-
sen denn hochbesagter Herr Land-Boigt die Probe mit einem
scharff-geladenen Stüße oder gezogener Büchsen daran selbst ge-
than hat) ist er hierzu angefesten Tages aus der Stadt Budis-
sin in vollen zierlichen Kürasß (auffer daß er an Heinen mit
Stieffeln angethan gewesen) auffß Schloß/und biß an die Trep-
pen auffn Hoff geritten kommen/ und abgestiegen/ worauff der
Herr Land-Boigt in Gegenwart der anwesend und versamlet
gewesenen Herren Land-Stände so wohl das Pferd (welches ein
schöner Apffelgrauer Hengst war) als auch den Kürasß mit al-
ler seiner Zugehör in Augenschein genommen/ und so fort den
von N. N. wieder auffßigen und den Vorritt verrichten lassen/
der denn auch das Pferd auffß ebene/und einen unvortheilhaftten
Ort gebracht/ darauff gar behende und ohne sonderbare Mühe
gestiegen/ und als er noch nicht recht ein oder in Sattel gefessen/
mit der rechten Hand den Degen oder die Rittermäßige Seiten-
Wehr ergriffen/ ausgezogen/oder entblößet/ und drey-mahl über
den Kopff geschwencket/ oder Luft-Hiebe damit gethan/ und
nachdem er das Schwerdt wieder an seinen Ort bracht und eine
höffliche Mine und Reverenz gegen den Herrn Land-Boigt
und Herren Stände gemacht hat / ist er vom Schlosse wieder
hinunter/ und in die Stadt in sein Logiament geritten.

XXVII.

Sed nec pro verâ transmutatione haberi potest, si feu-
dum ex pacto & providentia in hereditarium convertitur
hac formula: Daß Wir den Besten / unsern lieben getreuen ꝛc.
N. N. diese nach beschriebene Güter ꝛc. zu rechten Erb-Lehn/
darinnen wir sie auff dessen überreichtes suppliciren/ und um de-

Ⓔ

ver

rer von ihm angeführten motiven willen aus den Mann-Lehn dergestalt verwandelt haben/ daß wenn er und künfftige Besizere besagten Gutes keinen männlichen Leibes-Lebens-Erben verlas- sen/ so dann die Land-Erben auch in dieses Lehn succediren/ und der Besizer über solch Gut zu disponiren/freye Hand haben mö- ge/gnädiglich gereicht und geliehen; Reichen un̄ leihen ihm und seinen rechten ehelich-gebohrnen Leibes-Erben angezeigte Güter mit ihren Zugehörungen hiermit gegenwärtiglichen in Krafft dieses Brieffs/die forthin von Uns und Unfern Erben zu rechten Erb-Lehn zu haben/zu besizen/ zu gebrauchen/ die auch/ wie sich gebühret/ zu verdienen/ und dem Lehn/ so oft sie zu Falle kom- men/rechte Folge zu thun/und sich damit zu halten/ wie oben ge- schrieben/ und solche Erb-Lehn-Güter alt Herkommen und Gewohnheit ist ꝛ. Participat quidem tale feudum de variis allodii effectibus, substantiam tamen feudi, retinet. Certi enim juris est, quod feudi natura in uno saltem mutata in reliquis salva & integra maneat. *cap. 1. 2. F. 48. Zas. de feud. p. 12. in pr. FR. CURT. de feud. p. 1. n. 6. qv. princ. n. 28. SCHRAD. p. 2. de feud. cap. 4. n. 73.* Idque procedit in omnibus casibus, quibus tale feudum constituitur v. g. si in literis investituræ dicatur zum erblichen Lehn. *FRANZ. in append. lib. 3. Resol. per tot. vel Titio und seinen Erben. ROSENTH. de feud. Cap. 12. n. 9. vel allen seinen Erben und Nachkommen/vel allen seinen Erben und Erbneymen BESOLD. in thes. pract. vocab. Erb-Lehn/vel denique zu einem rechten Erb-Gut, Hoc ultimum verbum licet alias prædium allodiale denotet; tamen in materiâ feudali non nisi de feudali fundo accipiendum; pari ratione, sicuti verbum: heredis, in tali materia successorem feudalem indi- cat *cap. 1. §. et si clientulus 1. F. 13. cap. 1. §. 7. 2. F. 34. c. 1. §. 1. F. 19.* Hinc si bona feudalia in investiturâ sub dicta formulâ sunt concessa, hoc ipso in allodialia non transmutantur, sed feuda- lem*

lem qualitatem licet saltē ut feudum hereditarium retinent.
CARPZOV. p.2. decis. 170. ubi à Scabinis Lipsiensibus ita re-
sponsum fuisse refert: Hat euer Vater Adamus F. als er mit
Todte abgangen / ein Gut nach sich verlassen / und will anieho
dasselbe vor ein Erb-Gut ausgegeben werden / gestalt dann die
Tochter deswegen zugleich nebenst den Brüdern in selbigen Gu-
te zu succediren gemeynet. Ob sie nun wohl zu ihren Behuff
vorgeben / daß selbiges Gut als ein Erb-Gut in Lehn gegeben
worden / allermassen in dem hierüber ertheilten Lehen-Brieffe
das Wort / Erb-Gut / ausdrücklich gesezet wird. Dieweil aber
dennoch aus angezogenen Lehn-Brieffen klärlichen zu sehen / daß
der Lehn-Herr ein Lehn-Gut verleihen wollen / und demnach das
hernach folgende Wort nicht so wohl de Prædio allodiali, als
feudali hereditario zu verstehen / inmassen dann auch das Wort /
(Erbe) vor sich allein kein bonum allodiale machet / sondern
nach Art des Lehns auff die Lehens-Erben gedeutet werden
mag etc. So ist diesem nach vorbemeldtes Gut vor kein allodiale
und Erb-Gut zu halten / noch weil der Verstorbene Söhne ver-
lassen / die Schwestern zur succession zuläßig B. K. W.
Quod si verò concessio facta est his verbis: Für sich / und seine
eheliche gebohrne Leibes-Lehens-Erben / feudum propriam su-
am naturam retinet, nec in hereditarium quidem fit muta-
tio, quicquid etiam in contrarium adducant PRUCKMAN lib.
2. Conf. 7. n. 37. HARTM. PIST. lib. 2. qv. 3. quos sequitur CARPZ.
p. 2. Const. 47. def. 2. existimantes feudum hoc modo filiis
non simpliciter, sed sub qualitate juris hereditarii concedi;
& dictionem (Lehns) appositum vocabulo (Erben) nihil
derogare proprietati dictionis (heredibus) quo minus feu-
dum qualitatem hereditariam innuat, atque efficere, ut qui
feudi sunt capaces, cum qualitate tamen hereditariâ admit-
tantur. His enim ita respondeo, quod, juxta antea adducta

verbum (heredis) absolute positum, in materia feudali pro feudi successore sit accipiendum; E. multo magis hoc affirmandum ob adjectam voculam (Lehns) quæ non obscure indicat, tam concedentem quam accipientem minimè successionem hereditariam, sed tantum jus agnationis, & sanguinis successionem, quæ feudorum naturæ maximè est consentanea, considerasse, & hac potissimum de causâ his verbis usos fuisse, ut inter heredes hereditatis, & heredes feudales differentiam constituerent. KNICHEN. *de vestit. pact. p. 1. c. 2.* STRUV. *Syntagm. J. F. Cap. 4. apb. 12.* FRANZ. *d. l. n. 10.*

XXVIII.

Accidit quoque sæpissimè, quod simultaneè investiti, eo tempore, quo fortè in acquisitione feudi novi, in communionem juris vasallitici recipiuntur, datis literis reversalibus promittant: *Da sichs begeben würde/das N.N. solch Gut mit hypotheck beschlagen/ oder dasselbe entweder vertauschen/ verkauffen/oder anderer Gestalt vereussern wolte/ sie oder dero Lehnsfolger darein ihren Consens willig geben/ oder da solcher von einem oder dem andern nicht erfolgen würde/ solche Verweigerung also balde an statt des gegebenen Consensus gehalten und geachtet/ und mit Veralienirung des Guts ohne ihre/ und künfftige Lehns-Folger Widerrede verfahren werden solle.* Sed neque hoc casu ex feudo allodium fieri, satis est certum, cum liberior illa de feudo disponendi concessa potestas, nexum feudalem, adeoque feudi substantiam non extingvat, sed nihil aliud efficiat, quam ut saltem communi feudorum naturæ fiat aliqua derogatio.

XXIX.

Quid verò, si investituræ inserta sint verba: *zu haben/ zu halten/ zu verkauffen?* annon hac ratione feudum naturam
allodii

allodii assumit? Respondetur: Clausulam illam id solum operari, ut Vasallus propter eam bona sua feudalia quidem irrequisito Domino possit alienare, sed tamen eâ conditione, ut alienatio in tales fiat, qui feudorum sunt capaces, & dominium directum salvum maneat, feudumque debito tempore & modo ad eum redeat. ANDR. de ISERNIA *in cap. 1. col. 4. vers. sed an Dominus. de prohib. feudi alienat.* MODEST. PIST. *Vol. 2. Cons. 11. n. 15.* docens, quod Dominus consentiens alienationi rei feudalis, etiamsi non apponat clausulam; *salvo jure servitii & Vasallagii*, non perdat directum dominium, sed retineat id salvum, de quo non cogitavit, videturque simpliciter consentire in hoc, ut Vasallus vendens, qui alioqui sine consensu suo non poterat vendere vel alienare, possit transferre jus suum quod habet, in emptorem v. FRANZ. *d. l. n. 55. seqq.*

XXX.

A feudo hereditario differt quidem fœmineum, dum illud pro se & heredibus quibuscunque acquiritur; in hoc vero saltem fœmina admittitur; Sed tamen in eo prorsus conveniunt, quod neutrum pro allodio puro haberi possit. Licet enim in hoc fœminæ in subsidium ad successionem admittantur, in quo etiam illud pro degenerante haberi solet, in cæteris tamen veri feudi naturam retinet.

XXXI.

Denique à toto transmutationis actu prorsus distinguenda est feudorum Ecclesiasticorum secularisatio. Quæ novissimè ex *art. 10. §. tertio pacific. Osnabrug.* contigit in Archiepiscopatu Bremensi, Magdeburgensi & Episcopatu Verdensi, Halberstadiensi, Mindensi, Caminensi, Sverinensi, Razenburgensi, in prælaturis & præbendis Capituli Caminensis, in Pomeraniâ citeriori &c. aliisque ibidem, & à

MAURITIO *in vr. de secularizat. honor. ecclesiast. cap. 7. apb. 5.*
relatis. Quamvis enim illis ecclesiastica qualitas adempta
fuerit, feudalis tamen mansit, prouti etiam in *dict. pacif.* id
satis evidenter est expressum, dum ibidem ita dispositum
reperitur, quod talia bona impostero jure perpetui & im-
mediati feudi possideri debeant.

XXXII.

**Effectus transmutationis consideratur vel ratione
Domini, vel Vasalli vel Agnatorum.** Ratione Domini
consistit ille tum in acquisitione plenæ proprietatis, tum in
directi domini amissione. Illud evenit, si transmutatio circa
jus Vasalli contingit; veluti refutatione domino facta, præ-
scriptione, aliisve modis; Hoc verò si illa jus Domini dire-
cti afficit, ut si Vasallus libertatem præscripserit &c. Sic
non solum ipsa proprietas, sed etiam, quicquid eidem co-
hærebat v. g. jus exigendi servitia, laudemia amittuntur.

XXXIII.

Ratione Vasalli consistit ille in eo, quod ad servien-
dum Domino amplius non teneatur, sive servitia determina-
ta fuerint, sive indeterminata. Sed & ab ipsa obligatione,
quæ Domino erat obstrictus liberatur. Cum enim fide-
litatem saltem intuitu rei feudalis præstare debeat, sequitur, eâ
sublatâ atque ita causa ejus cessante, ipsam quoque obligatio-
nem simul cessare, dummodo jus exigendi servitia feuda-
lia expressè non fuerit reservatum. Ratione agnatorum,
quod his nullum amplius supersit jus succedendi, puta sub
ratione successionis feudalis, retinere tamen eos spem suc-
cessionis sub qualitate heredum allodialium, & quidem eo
ordine, quem lex in successione definit, satis est certum,
quam proinde, casu eveniente, in actum deducere possunt.
Communis autem effectus ratione Domini & Vasalli est,
quod

quod secutâ consolidatione de re transmütata non secus at-
que alii Domini, tam mortis causa quam inter vivos dispo-
nere, illamque vel totam vel pro parte citra jacturam & pri-
vationem ejus alteri donare, cedere, permutare, vendere, op-
pignorare, aut alio quovis modo alienare valeant.

XXXIV.

Factâ ita consolidatione, feudalis qualitas regulariter
in perpetuum extingvitur, maximè in feudis Imperii, ubi in
Capitulatione Caroli V. & sequentium Imperatorum diser-
tè provisum, quod illa non sint aliis rursus concedenda, sed
in usum Imperii servanda. Wann auch Lehen dem Reich
und uns bey Zeiten unserer Regierung eröffnet/ und lediglichen
heimfallen werden/ so etwas merckliches ertragen/ als Fürsten-
thum/ Graffschafften/ Herrschafften/ Städte und dergleichen/
die sollen und wollen wir ferner niemandts verleihen/ sondern zu
Unterhaltung des Reichs unser und aller Nachkommen der Kö-
nig und Käyser behalten/ einziehen und incorporiren/biß so lan-
ge dasselbe Reich wieder zu Wesen und Aufnehmen kömmt.
Proinde in cap. Ferd. II. art. 28. & Ferd. III. art. 32. etiam
concessio expectantiarum in ejusmodi feuda est prohibita,
secusquam sentit BERLICHIIUS part. 2. concl. 54. n. 9. rectè hoc
nomine refutatur à LIMNÆO in addit. ad jus publ. lib. 1. cap. 12.
p. 254. Postea vero in Capitul. Ferd. 4. art. 30. ac Leopoldi
art. 30. ita limitatio facta, ut horum feudorum collatio con-
sensu Electorum fieri possit. Exceptis casibus, ubi Reinfeu-
dationem, Dominus facere potest, puta in rebus infeudari
solutis. Quo pertinent vacantes Electoratus, qui præcisè
reinfeudari debent, quod ob utilitatem publicam est rece-
ptum, ne numerus Electorum minuatur. Aur. Bull. Tit. 7.
Episcopi verò aliique Prælati feuda vacantia, si hoc ita rece-
ptum, etiam citra Capitulorum consensum licitè reinfeu-
dant,

AK 11 2990

dant, licet in capitulatione promiserint, de bonis ecclesiæ se nihil alienaturos, quia reinfeudatio pro novâ alienatione non habetur, dum res in statu, quem antea habuit, omninò remanet. GAIL. 1. Obs. 161. SCHRADER *de feud. p. 4. cap. 2. n. 16.* ROSENTHAL. *de feud. cap. 2. concl. 21. 30. 31. 32.* STEPH. *d. Jdict. lib. 3. p. 1. cap. 14. n. 41.* nisi aliud pactum, tum enim talis reinfeudatio est ipso jure nulla, præcipuè si clausula: *irriti* capitulationi sit adjecta his verbis: *So soll solche Verleihung an sich selbst unkräftig/und unverbündlich seyn.* Hæc enim clausula ipso jure annullat ANTON GABRIEL *Tit. de clausulis Concl. 3. add. Dn. HEROLD in consult. decis. 3. per tot.*

XXXV.

Extinctâ vero qualitate feudali, certum tamen est, debita feudalia ejusmodi fundo inhærentia ab iis, ad quos res illa venit, nihilominus solvenda esse. Nec enim in præjudicium creditorum hæc transmutatio fieri, sed potius in literis transmutatoriis expressè reservari solet; iedoch *Uns/und jedermänniglich an seinen Rechten unschädlich.* Sed & licet clausula reservatoria ibidem non reperiatur expressa, tacitè tamen subintelligitur, cum res inter alios acta, aliis nocere, nec jus tertio quæsitum sine ejus facto ipsi auferri possit. *l. 63. ff. de re jud. l. 11. l. 74. ff. de R. J.*

XXXVI.

Ad Contraria potissimum defectus potestatis, & reinfeudatio necessaria; Ad Adfinia verò secularisatio, commutatio feudi in hereditarium & fœmineum referuntur. De quibus cum in superioribus pro instituti ratione sit actum, ideò ad illa L. B. remitto.

SOLI DEO GLORIA.

1077

ia se
one
minò
n. 16.
dict.
rein-
pitu-
n. 16.
fula
cl. 3.
n est,
os res
raju-
in li-
3/und
licet
racitè
cere,
l. 63.
rein-
mmu-
De
sit

ULB Halle

3

004 756 681



MC







Handwritten text in a Gothic script, likely Latin, is visible on the manuscript page. The text is faint and appears to be a list or index of names and titles. Legible fragments include:
D. JACOBO
Appellationum Judic
Indice Lipsiensis
Johannes G
Ludwig Christ

